

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Beneficiencia siue beneficium 1 cum fontibus proximo et primo

Si indigenciam ei optares cuius nullum beneficium haberet, inhumanum erat uotum. Quanto inhumanius ei optas cui beneficium debes!

Seneca libro VI. de beneficiis.

Et ideo non oportet ut homo optet indigentiam eius seu miseriam qui beneficium dedit, ad hoc quod beneficium recompensetur. Quia, ut Seneca dicit, in VI *de Benefic.*, si hoc ei optares cuius nullum beneficium haberet, inhumanum erat votum. Quanto inhumanius ei optas cui beneficium debes!

Thomas de Aquino, *Summa theologiae*, *Secunda secundae*, 106.3.resp.5 (P. Caramello ed., vol.2, p.501).

Potes inire gratiam, si, quia vulneratus sum, sanas, non, si volneras, ut sanandus sim; numquam cicatrix nisi conlata volneri placuit, quod ita coisse gaudemus, ut non fuisse mallemus. Si hoc ei optares, cuius nullum beneficium haberet, inhumanum erat uotum; quanto inhumanius ei optas, cui beneficium debes!

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 6.26.2 (F. Préchac ed., vol.2, p.58).